

1
7
93







PROGRAMMA
IN FUNERE
VENUSTÆ AC SUAVISSIMÆ PUELLÆ
MARIÆ CATHARINÆ JOHANNÆ
VIRI
NOBILISSIMI ET EXPERIENTISSIMI
DN. HENRICI MEIBOMII
Medicinæ Doctoris & Prof. Publ. Ordinarii, nec non Archiatri Gvelphici
FILIOLÆ
d. IX. Februarii Anno CIↃ IↃ C LXXVII. placide defunctæ

P. P.

HELMESTADI,
Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.

PRORECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ JULIÆ

STVDIOSIS CIVIBVS S. D.

QVam in omni vitæ humanæ genere toties experimur volubilem fortunæ inconstantiam variamque rerum omnium vicissitudinem, hanc in optato conjugji statu similiter locum invenire crebris documentis edocemur. Ea nimirum est communis nostra vivendi conditio, ut vel mille ærumnis innumerisque casibus perpetuò exerceamur, nec ullus ferè Euripus tot in se resorbeatur æstibus reddaturque, quot nos mortales miseri vicibus volvimur atque agitamur. Quotus enim quisque est tam bene constitutis fortunis felix, qui non momentis singulis intra infortunii alicujus aleam positus miseriæ cujusdam sensum percipiat, & vel ipse jaceat, vel bonorum aliorum jacturam patiatur? Quin imò videmus conjugialis vitæ svavissimam Societatem honestis mortalium deliciis aliàs consecratam communis istius sortis neutiquam esse expertem, sed variis quoque calamitatum vicibus perturbari, ne videlicet ulla humanæ felicitatis portio votorum humanorum summam

mam in hac mortalitate perfecte adimpleret. Quamquam enim admirabilis gratiæ plenissimus est ille animorum pariter ac corporum in conjugio nexus, sæpe tamen vel Consortis, vel prolis, vel aliis casti thalami incommodis casibusque hæc dulcedo acore dolorum mirificè imbuitur. Vt proinde & hic usu veniat, quod navigantibus non rarò accidere solet; qui sicuti in media aëris tranquillitate derepente quandoque violentiori turbine concutiuntur & in maxima incidunt pericula; ita in gratissima conjugialis amoris serenitate talia malorum frequenter fulmina ex improviso ingruunt, quæ uno impetu nostras cogitationes, nostras spes, nostra lectissima pignora, prosternant atque evertant. Acerbum, (ne jam aliena, vel ignota recenseamus) volubilis hujus conditionis humanæ exemplum hisce diebus nobis præbuit optata MEIBOMIANÆ familiæ Progenies; quæ lætissimi instar surculi hactenus succrescens, magnam futuræ lætitiæ segetem Parentibus promittebat, sed eheu! in primo tenellæ ætatis flore Mortis vi succussa subitò evanuit, suoque casu domestica Parentum gaudia luctu mœroreque obscuravit. Hauserat elegans venustaque hæc puella communem lucis auram hoc ipso in loco XVI. Calend. Sextilis anni nuper elapsi, Patre genita, Viro Nobilissimo & Experientissimo Dn. HENRICO MEIBOMIO, Medicinæ Doctore & in hac illustri Julia Professore Publico & Ordinario, nec

non

non Archiatro Guelphico: Matre, Nobilissimâ sexusque sui virtutibus ornatissimâ fœminâ ANNA SOPHIA DÆTRIA. Avum paternum acceperat Virum Nobilissimum atque Experientissimum Dn. JOHANNEM HENRICUM MEIBOMIUM Medicinæ Doctorem ejusque in Academiâ hâc primùm Professorem Publicum, posteà Liberæ Imperialis Civitatis Lubecensis per triginta annos Physicum Primarium, Serenissimorumque simul Holsatiæ Ducum Archiatrum felicissimum in cœlis jam exultantem: Aviam vero paternam, Nobilissimam Matronam ELISABETHAM ab Overberg adhùc viventem, tristemque nuncium de dulcissimæ neptis suæ obitu lugenti certe animo mox percepturam. Sed & Maternæ familiæ præclaris majoribus nitebat, Avum quippe Maternum sortita, Virum Summe Venerabilem Dn. BRANDANUM DÆTRIUM S. Theol. D. Prot-Ecclesiasten Aulicum Guelphicum, Ducalis Consistorii Directorem, & Cœnobii Riddagshusani Abbatem meritissimum; Aviamque ELISABETHAM Grobbecks/Matronam honoratissimam. Plura alia celeberrima Majorum, MEIBOMIORUM videlicet, OVERBERGIORUM, BOEKELIORUM, GEVECOTIORUM, meritis famaque tam his, quam aliis passim in locis clarissimorum nomina prolixius hic producere præsentis loci ac instituti ratio non patietur. Id potius exponere aggrediemur, quo fato te-

nella hæc summorum Majorum progenies exiguo hoc tempore, quod in his terris transegit, usa fuerit, quâque ratione vitæ suæ cursum celeriori gradu peregerit. Edita in hanc lucem novoque hospitio excepta, providâ Parentum curâ sacris divini fontis mysteriis initiata fidelium cœtui mature fuit adscripta, nomina inde, consveto more, reportans MARIÆ CATHARINÆ JOHANNÆ. Lætabantur interea Genitores Optimi hâc venustâ sobole, eo quidem impensius, quò avidius post nonnullos elegantes Patremque referentes puerulos susceptos fœmineam prolem desideraverant. At vero incertam minusque stabilem carissimi hujus pignoris possessionem concedere ipsis voluit Deus rerum omnium sapientissimus moderator. Ostendit tenerrimus hic flos pallore statim suo vigoris vitalis teneritudinem, quamquam Parentes eo non moverentur, cum nulla alia imbecillitatis vel intemperiei vestigia in corpore deprehenderent. Sub initium tamen anni currentis tussi laborare cœpit, quæ vero solerti Parentis medela, adhibitisque lenioribus succis mox evanuit. Ceterùm rediit XIII. Calend. Februarii exitiale malum cum aliis gravioribus comitibus hostili impetu in corpus tenerrimum irruentibus. Protinus enim ad molestam tussim accessit immoderatus calor pulmonumque inflammatio, majora certe mala, quàm quibus sustinendis tantilla ætas sufficeret. In tristi ergo & periculoso hoc carissimæ filiæ statu

quam

quam medendi ſolertiam à ſollicito Parente adhibitam fuiſſe putemus? Quodſi enim ſingularem ejus circumſpectionem cum non minori felicitate conjunctam tot decumbentium inſana corpora hactenus perſenſerunt, quantâ ſolicitudine, quanta artis induſtriâ filiæ unicæ præſtò ipſum fuiſſe credendum? Nulla verò humanâ curâ, nullo præſtantiſſimorum pharmacorum uſu pertinacis morbi vis depelli potuit, ſed tuſſis continua noctuque ſemper auctus calor omnes corporis conſumſit vires, ut inſtar plantæ mollioris paulatim marceſceret. Dedit tamen rarum & in puerili hac ætate vix obvium patientiæ exemplum, ſine ejulatu, ſine querelis, ſine lacrymis decumbens morbique moleſtias ſuſtinens, donec v. Id. Febr. paulo poſt primam matutinam inter adſtantium pias preces citra omnem doloris ſenſum animam mundi illecebris nondum laceſſitam efflaverit, exactis tantum in hac mortalitate XXXIV. hebdomadis. Exile ac breviſſimum, fatemur, vitæ fugientis hoc eſt curriculum, quo tamen ea defunctæ puellæ obtigit felicitas, quâ infiniti alii mortales, ut ut provectiorem conſequantur ætatem, carere coguntur. Nata quippe hæc noſtra honeſtis, Chriſtianis, & quidem clariſſimis Parentibus. Sacro Baptiſmatis lavacro credentium populo inſerta, ſpirituali ſimul Chriſti Servatoris conjugio copulata eſt. Bene tandem ac feliciter mortua, dum nullis mundanæ impietatis maculis infecta animula, Chriſtique Sanguine

ſignata

ſignata, in divinum beatarum Mentium conſortium tranſiit. Hæc felicitas omni præferenda ſenio, hæc fortuna præſtantiſſimis quibusvis Generis, totque longo ordine nepotibus merito anteponenda. Cogitantes itaque hæc mœſti Parentes, gratulabuntur potius carisſimæ filiæ, quod tam paucis menſibus, quos in hoc theatro mundano conſumſit, tantæ felicitatis posſesſionem attigerit, quam nulla unquam orbitatis triſtitia, aut viduitatis moleſtia interrumpet. Fruatur ergo innocens anima his incorruptibilibus bonis, excelſique ætheris gratisſima hoſpes in ſinu Abrahæ quieſcat, usque dum eluceſcet illa dies quâ corporeo hìc relicto domicilio reſtituetur! Vos vero, Cives carisſimi, dum defunctæ puellulæ mœſtisſimi Parentes hodierna luce juſta funebria parabunt, filiolæque ſuæ triſtes exuvias ſepulchrò inferendas curabunt, frequenti honeſtoque comitatu veſtro humanitatis affectum erga lugentes inprimis Parentes declarabitis, hoc mortalitatis maturæ exemplo edocti, fatalem mortis horam Vobis eo certius imminere, quo citius in ipſo ætatis limine tenellam MEIBOMIAM occupavit. Valete, & ſerio cogitate eos ſaltem vere beatos eſſe, qui in Domino moriuntur. P. P. XII. Calend. Martii An. CIↃ IↃ C LXXVII.